

dann dasselbe Mittel aufs äußerste zur Hand / und ver-
 suche dadurch das seine / also das auch ihm mit gutem Wissen und Wil-
 len nichts mangele. Cuius generis monita plura iam ante ali-
 quot lustra publico exposuimus in *Not. ad ius eccl. Brun. Lib. 1. c. 6.*
M. 2. quæ apud aliquos non sine fructu fuisse percepi. Utinam
 tandem vbiq̃ mouerentur conscientia illorum, qui concio-
 ne vna vel altera habita acquiescunt, in reliquum tempus secu-
 re degentes, & quod peius est, bonum, quod ipsi in salutem Au-
 ditorum facere possent, non tantum negligentes, sed & alios id
 facturos omni conatu impediētes, parum memores illius di-
 cti iacobei *cap. 4. vers. vlt.* *Qui bonum, quod facere posset, omittit, pec-*
catum committit. Si hoc, omnium grauissime peccabit, qui bo-
 num ipse non facit, & insuper, ne ab aliis fiat, impedit. Verum,
 vt ad propositum reuertar, bene de ecclesia meruisti, *Vir nobilis-*
sime, quod in originem, fundamentum, ac legitimum vsum iu-
 ris parochialis doctè inquisueris, abusum modeste reprehen-
 deris, vsum autem genuinum, qui merito in ecclesiis retinen-
 dus, demonstraeris. Non quidem effugies iniquorum cen-
 suras, sed nec deerunt æqui rerum æstimatores, qui veritate
 conuicti, remoto præiudicio, quo plerique fascinati sunt, defe-
 ctus huius iuris agnoscent, operamque impendent, vt non am-
 plius ob lucrum temporale scindatur vinea Christi, sed con-
 iuncta ministrantium opera, salus Auditorum omnium, in v-
 nitate Spiritus Sancti, promoueatur. De cætero, vt spartam
 Professoriam, tibi nuper a Potentissimo Rege nostro commis-
 sam, porro condigne ornes, pluraque solidæ eruditionis tuæ in
 honorem DEI salutemque publicam, edas specimina, a DEO
 O. M. tibi vires animi corporisque apprecor largissimas.

Bene Vale. Dabam e Museo d. XXVII. Sept.

A. R. S. M DCCI.



)(3

PRAE-